

QVÆSTIO MEDICA;

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, die Iouis XI. Ianuarij.

M. NICOLAO RAINSSANT, Doctore Medico, Moderatore.

An optimè temperati omnium ingeniosissimi?

I.

QVEMADMODVM anima corporis, sic animæ decus est humana mens, pars illa Princeps, cui regnum totius animi à naturâ tributum est: eam, quia varijs se promit gestionibus, qui sapere perhibentur, in varias distraxêre facultates, reuerà tamen nec ab inuicem, nec ab animi mente, nec ab ipsâmet animâ discrepantes. Hæc enim, dum rem aliquam apprehendit, intellectus; dum ad illam cognitam potiundam sese extendit, voluntas appellatur Licet autem omnes omnium hominum animæ naturæ dignitate sint pares, eodémque perfectionis gradu contineantur, animorum tam dispar est ac dissimilis ratio, vt alij penè nullo, alij tardo & hebeti, alij non ineleganti, alij summo ac illustri sint ingenio, majorque in animis, quàm in corporibus existat diuersitas. Qui nullo labore quiduis

ſibi cogitatione depingit, difficilia cognitu facilè comprehendit, cauſam inter & effectum promptiſſimè penetrat, rerum conſequutiones videt, ſimilia diſtinguit, aut, ſi non habet denotata, retinet aſſenſum, nec vlli vnquam viſo aſſentitur, niſi quod tale fuerit, quale falſum eſſe non poſſit; disjuncta conjungit, futura præſentibus copulat; ſi quid præpoſterum, confuſum, aut falsâ ſpecie ſe offert, id judicio tanquam Prætori ventilandum tradit, adhibitâque quâdam veluti manſorum ruminatione ad coquenda conſilia, quid in quâque re verum, quid facto opus ſit, clarè perſpicit, & placidè ſtatuit; quod prauum, ac tortuoſum eſt, acie rationis eradit, is certè ingenio ac mente præſtare dicendus eſt, maximè ſi neque diuinâ luce radiatus, neque diſciplinis excultus, neque vſu exercitatus, neque induſtriâ altus, valet ipſe ſuis viribus.

II.

ANIMA ipſa, vt ſit per ſe diuina, ac ſuapte naturâ ſibi ſeruiat, ſibi imperet, ſi à corpore abſoluatur; cum primùm corpori implicatur, nuda & vacua omni re; nec ſolùm ab omni cognitione, ſed etiam cognitionis inſtrumento inops, non poteſt abſque corporeis inſtrumentis initiari ſacris intellectionis. Hujus quippe primordia ducit à ſenſibus, per quos, ceu per nuncios ac delatores, aut perforatas à ſede animi vias, rerum omnium imagines ſic à ſpiritu prætervehuntur ad interiores ſenſus, vt cùm ab ijs inſculptis expreſſa ſimulacra conſiderauit ſuáque luce colluſtrauit intellectus, tum demùm ſe promoueat, ac per eas, quas ſibi fabricatur, ſpecies, propoſitas ſibi res etiam diſſimillimas intelligat, demptis tamen ſingularis naturæ notis, quæ in phantaſmatum inuolucro quaſi nube deliteſcebant. Ineſt & illi vis quâ à ſe creatas rerum effigies condit in theſauris ſuis, & cum in earum ſyluam ingreſſus tectas diſquirit, obrutas euoluit, importunas amouet, obturbatas digerit, reminiſci ſibique ipſi præſens eſſe dicitur. Ne ſemet quidem intelligere poteſt, niſi per alia externa ſeipſum ducat ad ſe ſe, adeo quaſi clauo quodam ſenſibus affixa mens hæret. Magna quidem in illis veritas, ſi ſani ſunt ac valentes; ſi ne-

que quibuſdam veluti præſtigijs & captionibus depelluntur ab his quæ clara certáque ſunt; neque ſitus, neque rerum interualla mutantur, contrahuntur, diducuntur; neque vlla res interjecta impedit, quominùs percipiant quale quidque ſit: in quamuis enim partem facilè impelluntur, vt qualia illa ſunt, quæ animæ objiciuntur, talibus picta, fiat interdum alia à ſeipsâ. Ita pauitant Melancholici, quia ſpiritus atri ſunt, non anima: neque mens ægrotat, vt voluit Vir alioqui maximus, cum dolorem, quo cruciamur, non ſentimus; ſed quoniam dolentem ad locum ſubſidij causâ diſtracti ſpiritus facultati, quâ imaginamur, non repreſentantur: ob eam quoque rem ſapientes animo ad intima abducto penetralia, quæ palam & ante oculos ſunt, non vident. Sic nempe res eſt: videt, auditque animus, non eæ partes, quæ veluti illius feneſtræ ſunt, quibus tamen ſentire nihil poteſt, niſi id agat & adſit.

III.

MAGNI refert quali in corpore locati ſint animi, multa ſiquidem è corpore extant, quæ acuant mentem, multa quæ obtundant: eo quemque valere opus eſt, vt animo poſſit, neque magis hic ſanus eſt, quàm illud dum in morbo eſt. Ad ipſius autem corporis adminiſtrationem totamque rationem actionum maximi intereſt, quomodo ſe habeat ſpiritus, qui vnus eſt, & ille æthereus, cujus fulgore cùm animus, tùm ipſa natura vniuerſo collucet corpori. Eò magis nitet, quò ſanguis, vnde ducitur, purior eſt ac temperatior; At qui laudabilem & intaminatum ſemper reponant, admodum paucos reperire eſt. Sic enim ea, ex quibus conſtat humanum corpus, inter ſeſe congruere debent, vt ſit conuenientiſſima temperies & ſtructura partium omnium, maximè cordis & hepatis, quibus illius elaborandi prouincia impoſita eſt: & fruſtra ex delectis alimentis in ventriculo confectis inchoatus in jecore, recoctuſque in venis, à corde optimi perfectique ſanguinis ſpecie adornatur, niſi ſtatim ſepoſita illius purgamenta partium, quibus id curæ eſt, robore tempeſtiuè, & quà ſolet natura, trudantur è corpore. Sed nec ſatis eſt nihil ſupereſſe impuri, quod vel id peregrinis imbuat qualita-

tibus, vel ſuis fumis cor mentiſue arcem petat: terſum præterea mundumque, ac meabili delicatiorique texturâ donatũ eſſe oportet viſcus illud nobiliſſimum quo ſapimus, & in quo velut in ſublimi ſolio ſedens animus ſua ſubjectis quibuſque partibus deſcribit officia, præbetque commeatum.

IV.

LICET temperamentum rectiùs ex primarum qualitatum, quàm humorum dominatu æſtimetur, quia tamen ex his, qui Medico elementa ſunt prima, conflatur humanum corpus, is vnus, qui in omnium mixtione excellit, definit, denominatque temperamentum: hinc aliud pituitoſum, aliud bilioſum, aliud ſanguineum, aliud melancholicum nominarunt. Quemadmodum, vbi ex illis omnibus paribus ferè portionibus quaſi juſtitiæ ritu temperatis conſentanea quædam æquabilitas accerſitur, exurgit præſtans illa temperies, quam qui obtinet, ad munia, ad quæ naturâ ſuâ ducitur, incorruptè fungenda pulchrè comparatus eſt. Quid enim eximium ab illis expectes? Pituitoſis impensè frigidis, tardis, blennis, plumbeis, mucidis anguſti ſunt ſenſus, vis animi nulla & quaſi nexu quodam impedita, adeo frigore torpent craſſi concretique ſpiritus: minùs tamen abſunt à temperie, quàm à mente optimâ. Diceres ſtipites qui ſe huc illucque agant, & præter formam humani ſibi nihil reſeruarint. Bilioſi ſolo ingenij acumine ſpectabiles, ferè futili alacritate deliqueſcunt, volaticóque mobiliorum ſpirituum impetu audaces, temerarij, leues, omnibuſque conſilijs præcipites ac deuij vix legum & ſapientiæ repagulis continentur; quiduis adoriuntur & deguſtant, ad vmbilicum perducunt nihil. Sanguinei venuſtate alijſque dotibus meritò commendati, corpore, cui plurimùm indulgent, meliùs vtuntur quàm mente, à quâ & ſæpe & leui de causâ deſeruntur. An juſtiùs Melancholicis ingenij palma defertur? Eorum duplex tantùm eſt ratio, alijs ſcilicet friget, alijs calet impensè craſſipelle corpus. Illi pituitoſis haud ingenioſiores, ſed moroſiores, ac ſtomachoſiores, & tenui ſunt corpore, & multò tenuiori mente, quæ atri humoris tenebris circumfuſa vix vllum ſeu veritati ſeu rationi locum relinquit, amplum mœrori ac me-

tui, quibus confecti ſæpe & vitæ deſperatione ad laqueum currunt. His contra fidentibus, & ob feruidiorem atque ἰνωδέστερον ſanguinem, quem progignunt, duriore habitu præditis ineſt robuſtus furor inimicus ſanæ menti. Eſt tamen vbi toſti humoris calore quaſi ſubditâ face inflammata viget aliquandiu, aſpectúque res clariùs cernit, ſed dementiæ proxima non benè ſibi ſemper conſtat, ſtatimque ac illius æſtus conſêdit, relaxatur & concidit. An igitur ſic nati ideo ingenioſi ſunt habiti, quòd ad quamcumque opinionem quaſi tempeſtate delati, ad eam tanquam ad ſaxum pertinaciter adhæreſcunt, vbiuis pugnaciſſimè defenſuri, & ad quamcumque rem cognoſcendam animum adjecêre, diu multúmque & in omnem partem verſant, dum totam è cauſarum ſuarum, & obſcuritatis inuolucris eruerint? Sæpe autem ingenium & artem vincit aſſiduus vnique rei deditus vſus.

V.

CVIVS in corpore affines in permiſtione qualitates, & quâ decet proportione, quatuor humores ſic coiuerint, optima vt inde effloreſcat temperies, ſitque mollior cutis, is vnus ex hominum turbâ florebit omnibus ingenij dotibus, cæteróſque intelligentiâ anteibit. Nempe cum vires dat melior ſanguis, & partes ſingulæ plurimorum ac lucidorum ſpirituum præſidio munitæ vigent, nullâque excrementorum ſeu tetrâ aſpiratione ſeu contagione inficiuntur, expeditas atque ad ſua officia alacres promptaſque eſſe oportet facultates omnes, eam maximè quæ Auguſtiſſima eſt & aliarum Regina. In cujus enim integris incorruptiſque ſenſibus & veritas eſt, & acre ſemper judicium, qui ab illis ſolidas incolumeſque rerum, quæ foris ſunt, effigies quaſi futuræ cognitionis ſemina excipit, ſpiritu facili, nec vllo caloris turbine acto, eas inuehente, quid eſt quamobrem is non vbique ſuæ ſit mentis, præſentique vtatur animo, qui nullo ſenſuum errore tractus citiùs ac dilucidiùs cernat; quidni & à memoriâ Muſarum matre optimè conſtitutus ſit? Planè vt, cum ſudum eſt, multò meliùs res perſpiciuntur, quam turbido cælo; aut ſicut, vbi in ſpeculum impingit craſſior aër, difficilis eſt eorum, quæ alioqui bellè reddit, obtutus: Sic vbi phanta-

ſia, læuior ac perpoliti inſtar ſpeculi, à rebus externis tractas conceptaſque notiones purgatiſſimas intellectui contemplandas præbet, ſeſe hic excitat erigítque ad agendum, fretúſque ſpiritibus ſinceris, ſubtilibus, ſplendidis, tenuibus, ſolertiâ & ſagacitate pollet eximiâ, falſum aut incognitum nihil approbat, nec feſtinanter & citò quaſi auguratione quâdam, ſed rectâ & perſpicaci ratione, inueſtigatione accuratâ, aptè ex aliis alia nectens & colligens, quaſi expletam rerum omnium etiam abſtruſiorum, admirandarum, diuinarum comprehenſionem amplectitur, bonarumque cogitationum ac ſcientiarum epulis ſaturatur. Altâ hâc mente, eóque naturæ habitu propè diuino fuêre, qui, velut faces publicæ è cœlo delapſæ, artes diſciplináſque omnes excogitarunt & illuſtrarunt. Et qui orbem veritatis luce compleuit, quo pacto reliquos mortales, eorum ipſe caput (vt erat ad vnguem temperatus) oris ſpecie formæque dignitate, ſic ingenij vi ac celſitate longè ſuperauit.

Ergo optimè temperati omnium ingenioſiſſimi.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Edmundus Charrier. M. Franciſcus Goüel M. Petrus Bourdelot, Seren. Regin. Sueciæ
M. Raphaël Maurin. M. Petrus Creſſé. Med. prim. & Abbas Maſſaenſis.
M. Ludouicus Gallais. M. Petrus le Large, M Carolus le Breton.
Prof. Chirurg. M. Claudius Perraut.

Proponebat Lutetiæ IACOBVS DE BOVRGES, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LXIII.

PARISIIS,
Apud FRANCISCVM MVGVET, Typographum Regium, viâ Citharæ, ad inſigne trium Regum.
M. DC. LXIII.